



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.  
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapestén, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy  
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

## Hungaria in luctu est.

Sexto die ante Idus Septembres funestissimo nuntio commota<sup>1</sup> est patria.

Iosephus Vass summus<sup>2</sup> valetudini populi tuendae nec non rebus operariis administrandis praepositus<sup>2</sup> subita morte decessit.

Amisimus virum, cui patrem quando inveniemus? Nam Iosephus Vass per omnem vitam exemplum<sup>3</sup> prodidit,<sup>3</sup> quo quis modo officium<sup>4</sup> praestaret<sup>4</sup>.

Vir optimus virtutem colebat, in qua summum<sup>5</sup> bonum<sup>5</sup> posuit.<sup>5</sup> Amans patriae et homo<sup>6</sup> vere<sup>6</sup> popularis<sup>6</sup> erat, qui causam<sup>7</sup> popularem<sup>7</sup> defendebat,<sup>7</sup> ut animos aegritudine<sup>8</sup> afflictos<sup>8</sup> debilitatosque<sup>8</sup> elevarer.<sup>9</sup> Itaque nullum tempus intermisit,<sup>10</sup> quin angoribus<sup>11</sup> pressis<sup>11</sup> confectisque<sup>12</sup> solatium<sup>13</sup> afferret.<sup>13</sup>

Ut miles Christi sacerdos<sup>14</sup> ex<sup>14</sup> voluntate<sup>14</sup> Dei erat. In certaminibus vitae Iosepho Vass Is erat principium Idemque finis. Vir doctus in dicendo multum

valebatur: animos<sup>15</sup> audientium inflammabat,<sup>15</sup> docebat delectabatque eos.

Instituta<sup>16</sup> condidit,<sup>17</sup> quibus rerum necessariorum inopiā laborantes adiuveret. Nulli operae parcebat, lucubrabat<sup>18</sup> et omni<sup>19</sup> virium contentione nitebatur,<sup>19</sup> ut officio<sup>4</sup> suo<sup>4</sup> satisfaceret.<sup>4</sup> Tantum sibi non pepercit: per decem annos nullam sibi quietem dedit, sed laborabat usque<sup>20</sup> ad extremum spiritum.<sup>20</sup>

Mors Iosephi Vass immatura<sup>21</sup> maximos luctus nobis attulit, quos neque diuturnitas<sup>22</sup> unquam vetustate tollet.




1 megdöbben 2 népjóléti és munkaügyi miniszter 3 irányadó példa volt 4 kötelességet teljesít 5 legfőbb jónak tekinti 6 igazi népbarát 7 a nép érdekét szíven hordja 8 gondok súlya alatt roskadozó 9 fel-emel 10 elmulaszt 11 aggodalomtól szorongatott 12 kimerült 13 vigaszt nyújt 14 Istennek tetsző pap 15 a hallgatók szívére hat 16 intézmények 17 létesít 18 virraszt 19 minden erejét megveti 20 utolsó lehelletéig 21 korai 22 idő.

## De monumento Ancyrano.

Ancyra urbs nobilissima erat Phrygiae, hodie Angora, Turcorum lingua Engürü nominatur. Fundamenta urbis Midas, rex per Ovidium notissimus iecit, postea urbs propter opportunitatem loci maxime effloruit.

Urbem imperator Augustus multum ditavit atque amplificavit, itaque incolae, ut gratiam imperatori referrent, templum, Augusto et Romae urbi dedicatum posuerunt parie-



tibusque inscriptiones, quas ipse imperator composuerat, insculpi iusserunt.

Inscriptiones magni sunt momenti, quia imperator in his reddidit<sup>1</sup> dominationis suae rationem,<sup>1</sup> — etsi quadam brevitate imperatoria. — Monumentum continet autobiographiam imperatoris, triumphos et bella, honores etc. Ex his inscriptionibus excerptissimus specimina, quae sequuntur.

### I. Autobiographia imperatoris Augusti.

(I 1.) Annos undeviginti natus<sup>2</sup> exercitum privato consilio et privata impensa comparavi, per quem rem publicam dominatione factionis oppressam in libertatem vindicavi.<sup>3</sup> Propter quae senatus decretis honorificis in ordinem suum me adlegit C. Pansa A. Hirtio consulibus, consularem locum sententiae dicendae simul dans et imperium mihi dedit. Res publica ne quid detrimenti caperet, me pro praetore simul cum consulibus

providere iussit. Populus autem eodem anno me consulem, cum cos. uterque bello cecidisset et triumvirum rei publicae constituendae creavit.

(I. 7.) Princeps senatus fui usque ad eum diem, quo scripseram haec, per annos quadraginta. Pontifex maximus, augur, quindecim virum sacris faciundis, septem virum epulonum, frater arvalis, sodalis Titius,<sup>4</sup> fetialis fui.

### II. E rebus publicis externis.

(V. 30.) Pannoniorum gentes, quas ante me principem populi Romani exercitus nunquam adit, devictas per T. Neronem, qui tum erat privignus et legatus meus, imperio populi Romani subieci protulique fines Illyrici ad ripam fluminis Danuvii. Citra quod Dacorum transgressus exercitus meis auspiciis victus profligatusque est et postea trans Danuvium ductus exercitus meus Dacorum gentes imperia populi Romani perferre coegit.<sup>5</sup>

<sup>1</sup> beszámol <sup>2</sup> Kr. e. 44-ben Octavianus 19 éves volt <sup>3</sup> Antonius pártjára céloz. A felszabadítás a mutinai csata eredménye volt, amelyben Octavianus mint propraetor vett részt. A consulok halála után ő nyerte el ezt a méltóságot, 43 nov. végén triumvirre is megválasztották <sup>4</sup> a szabin istenségek tiszteletére rendelt szent kollégium <sup>5</sup> a dákokat 12–9 és Kr. u. 6–9-ben verték vissza a rómaiak.

## Ad sodales.

Michaël Tóth S. J. 1928.

*In apricum,<sup>1</sup> o sodales!  
Ubi laetus cantat ales,  
Viret, floret omnis ramus,  
Ut nos quoque gaudeamus.*

*Sed honeste, moderate  
Fixum tempus ludo date,  
Vi ut membra exercentes  
Recreemus aequae mentes.*

*Prudens, sagax<sup>2</sup> sit juventa,<sup>3</sup>  
Studioque sic intenta,<sup>4</sup>  
Ut cara sit et parenti  
Gloriae nostrae genti.*

<sup>1</sup> ki a szabadba <sup>2</sup> finom érzésű <sup>3</sup> = iuventus  
<sup>4</sup> hévvel foglalkozzék.

**EXEMPLA CLARORUM VIRORUM**

Quidam petulans<sup>1</sup> statuam Theagenis athletae singulis noctibus flagello caedebat. Quod cum saepius iteraret, tandem a statua oppressus et mortuus est. Statua ex legibus Draconis morti damnata et in mare proiecta est. Quam ob rem magna pestis exorta cives plurimos interemit, nec prius sedata est, quam statua ex mari extracta est. (Pausanias.)

\*


Cum Aegyptii funus alicuius viri nobilis apparaverant, ventrem eximebant et in arcula<sup>2</sup> ponebant; deinde postquam pollinctor<sup>3</sup> cadaver ad solem converterat, nomine mortui solem caelestesque omnes ita contestabatur: «Sol, rerum domine vosque caelestes, qui mortalibus usum lucis tribuitis, me accipite. Equidem pie ac religiose numina semper colui, parentes honoravi, hominem occidi nullum, nec quemquam fraudavi, neque aliud quidquam infandum patravi.<sup>4</sup> Quodsi quid a me male patratum est edendo

vel bibendo, quod non oportuerit, id omne non meā, sed huius causā commissum est». Simulque arcam, in quam venter conditus erat, in fluvium proiciebat, corpus vero reliquum, ut purum, condiebat.<sup>5</sup> (Plutarchus.)

\*

Tirynthii, qui ad risum proclives<sup>6</sup> erant et abhorrebant a rebus seriis, oraculum Delphicum adierunt et interrogaverunt, quomodo hoc vitio liberari possent. Responsum est: «Tum cessabit<sup>7</sup> ridendi consuetudo, si taurum Neptuno immolatum, continentes<sup>8</sup> risum, in mare coniecero». Illi metuentes, ne quid peccarent, pueros sacris interesse vetuerunt. Unus tamen, cum id rescivisset,<sup>9</sup> turbae se immiscuerat. Cum ceteri eum aspellerent,<sup>10</sup> «Quorsum haec? — inquit — an timetis, ne pelvim<sup>11</sup> vestram subvertam?» Illi continuo riserunt. Neque enim opus erat ulla pelvi, qua victimae cruor exsilens exciperetur, praesertim quia victima in mare abiciebatur. (Theophrastus.)

1 vásott, szentelen 2 koporsó 3 halottmosó 4 elkövet 5 bebalzsamos 6 hajló, hajlandó 7 megszűnik 8 visszatart 9 megtud 10 elkerget 11 tál, medence.



**LECTARIUS MINIMIS.**

**Viatores.**

Viator in Libycarum harenarum<sup>1</sup> vastitate<sup>1</sup> siti<sup>2</sup> iam paene moriebatur. Lingua fervebat,<sup>3</sup> membra torpebant,<sup>4</sup> vox irrauserat.<sup>5</sup> At ecce venit post eum mercator cum onusto<sup>6</sup> camelo.<sup>7</sup>

Viator laetus videt utrem<sup>8</sup> de latere cameli pendere. Ad spem excitatus<sup>9</sup> obviam it mercatori et in nomine Dei rogat eum, ut sibi haustum<sup>10</sup> aquae daret.

— Id non faciam, — respondet ille immisericors<sup>11</sup> — quamquam uter est semiplenus.<sup>12</sup> Quondam enim in itinere factum est, ut in angustias<sup>13</sup> adducerer; <sup>13</sup>tum vovi<sup>14</sup> me parciorem<sup>15</sup> esse futurum. Sed tolera paulum, amice, summum<sup>16</sup> horae spatium<sup>17</sup> a fonte absumus.

— Hoc semivivo<sup>18</sup> — ait viator — immane spatium est; eo magis praebere mihi debes utrem, quem mox aqua recenti<sup>19</sup> implere poteris.

Frustra supplicat<sup>20</sup> duro mercatori. Tum stimulo<sup>21</sup> sitis efferatus,<sup>22</sup> quasi aliena mentis<sup>23</sup> rapit sicam<sup>24</sup> et pectori mercatoris obvertit<sup>25</sup> et oculos<sup>26</sup> sanguine<sup>26</sup> suffectus<sup>26</sup> exclamat: — Cedo<sup>27</sup> aquam, aut morieris!

Ille perterritus utrem ei praebet.

In proximo oppido res ad iudicem deducitur.<sup>28</sup> Iudex sapiens ita iudicat: In maiore vitio esse, qui alterum legis oblivisci cogat. Viator septem dies teneatur in custodia, mercator sex menses in mari remigat.<sup>29</sup>

**Cribrum.<sup>30</sup>**

Puer cribrum, quod pater emerat, in manu versabat.

— Hoc, pater — ait imperitus<sup>31</sup> — non bene circumspeixisti; nam plenum est foraminum.<sup>32</sup> Multum tibi negotii<sup>33</sup> sartura<sup>34</sup> facesset.<sup>33</sup>

— Hoc ipsum est — inquit pater — cribri pretium,<sup>35</sup> ut foramina habeat, per quae quisquiliae<sup>36</sup> transmittantur.<sup>37</sup> F. Fehér.

1 homokszivatag 2 szomjúság 3 ég 4 merevedik 5 bereked 6 megterhelt 7 teve 8 tömlő 9 reményre élvedve 10 kerty 11 irgalmatlan 12 félig telt 13 szorult helyzetbe jut 14 megfogad 15 takarékos 16 legföllebb 17 egyórányira 18 félholt 19 friss 20 könyörög 21 kín 22 megvadul 23 örülten 24 tőr 25 szegsz 26 vérben fojgó szemekkel 27 ide! 28 kerül 29 evez 30 rosta 31 tapasztalatlan 32 lyuk 33 bajt okoz 34 foltozás 35 érték 36 szemét 37 átereszt.

## Cadmus.

Cadmus filius erat Agenoris, regis Phoenicium. Iuppiter aliquando faciem<sup>1</sup> tauri indutus<sup>1</sup> filiam regis abripuit, Europam. Pater Cadmum ad sororem quaerendam misit vetuitque eum sine sorore redire. Qui cum eam non invenisset, neque domum reverti ausus esset, consilium Apollinis sciscitatus est<sup>2</sup> Delphis, ubi terrarum Europa habitaret.

Oraculum erat: «Bos tibi iugum<sup>3</sup> nullum<sup>3</sup> passa<sup>3</sup> et immunis aratri occurret, hac duce carpe viam et qua requieverit herba, ibi fac condas moenia Boeotiaeque illa vocato!»

Vix Cadmus ex antro Castalio<sup>4</sup> descendit, ecce vidit iuvenam<sup>5</sup> incustoditam, nullum servitii signum cervice gerentem. Agenorides animal subsequabatur, donec id substitit et in herba<sup>6</sup> tenera<sup>6</sup> decubuit. Cadmus Iovi grates egit sacraque facturus ministros e vivis fontibus undas<sup>7</sup> libandas<sup>7</sup> petere misit.

Et iam sol ad occiduas undas festina-



vit,<sup>8</sup> neque tamen illi redierunt. Serpens enim Martis immensus, qui nemus<sup>9</sup> et fontes servabat, servos ad unum necavit.

Cadmus moram valde miratus pellem<sup>10</sup> leonis<sup>10</sup> induit, lancea et iaculo se armavit et viros investigatum<sup>11</sup> profectus est. In nemore brevi repperit anguem ingentem letataque ab eo corpora ministrorum. Ipsius morte contempta non cunctanter aggressus est Cadmus belluam et post certamen longum in gutture<sup>12</sup> eius ferrum condidit. Mox Pallade suadente aratro sulcum<sup>13</sup> fecit et dentes<sup>14</sup> vipereos<sup>14</sup> humi sparsit.<sup>15</sup> Ex dentibus viri exstiterunt,<sup>16</sup> qui

per mutua vulnera quinque tantum superstitibus<sup>17</sup> omnes perierunt. Cum his quinque condidit Cadmus Thebas, urbem sortibus iussam.

(E. M.)

1 bika alakjában 2 megtudakolta 3 igába nem fogott 4 castaliai barlang, ott volt a jóshely 5 tinó 6 friss, üde fű 7 áldozat bemutatásához szükséges víz 8 lenyugodni siet 9 berek 10 oroslánbőr 11 nyomozni 12 torok 13 barázda 14 sárkányfogak 15 elvet 16 keletkeztek 17 életben marad.

## Claudii.

Ad fabulam Ernesti Eckstein latine scripsit  
Valentinus Fehér.

Quum C. Aurelius Menapius navi reverteretur ex Batavis, in aspero<sup>1</sup> mari servavit a morte uxorem Claudii Muciani pontificis maximi eiusque filiam, Claudiam. Cum his in villam Baianam ingressus cognovit filium pontificis, Quintum eiusque alumnam,<sup>2</sup> Luciliam. Aurelius, dum ibi morabatur, amore Claudiae captus est.<sup>3</sup> Aliquando Aurelius et Quintus ambulantes viderunt servum quendam ad palum deligatum, Eurymachum, quem Stephanus, monitor<sup>4</sup> Domitiae Augustae crudeliter

virgis ceciderat. Aurelius servum miseratus est, tamen interim<sup>5</sup> eum adiuvare non poterat. Mox omnes Romam redierunt. Quintus in domo Lycoridis, feminae Gallae, servavit Eurymachum, quem Stephanus in fabula scenica occidere constituerat. Quare Stephanus odio in eum incensus est.

Mox Quintus per Eurymachum cognovit religionem Christianam, quam accuratius<sup>6</sup> discere decrevit. Interea Cocceius Nerva, Cornelius Cinna, Aurelius, Afranius causidicus, Ulpius Traianus, Quintus furtim convenerunt, ut de statu rei publicae deliberarent. Convenit inter eos<sup>7</sup> regnum

1 háborgó 2 nevelt leány 3 beleszeret 4 felügyelő 5 egyelőre 6 közelebről 7 megegyeznek.

*superbi Domitiani delendum esse: nisi res successisset,<sup>8</sup> ipsos navi Aurelii in Galliam ituros. Eurymachus clam feliciter in navem portatur.*

*Pontifex legem ad senatum tulit de persecutendis Christianis. Cornelius Cinna, vir impavidus<sup>9</sup> et patriae amantissimus, maximam orationem habuit contra legem, cui tamen plerique senatores suffragati sunt.<sup>10</sup>*

*Quintus ea nocte baptizatus est.<sup>11</sup>*

<sup>8</sup> sikerül <sup>9</sup> rettenthetetlen <sup>10</sup> megzavar <sup>11</sup> megkeresztelkedik.

## II. Quintus capitur.

Altero die, cum Stephanus e convivio Lycoridis concubia<sup>1</sup> nocte<sup>1</sup> domum redisset, in thalamo Antinous, servus fidelissimus, qui Quinti observandi causa missus erat, eum exspectabat. Cum servi omnes e cubiculo discessissent, Stephanus animo concitatus interrogat:

— Age cedo.<sup>2</sup>

— Causam<sup>3</sup> obtinemus<sup>3</sup> — susurrat Antinous. — Magno id quidem labore constitit.<sup>4</sup>

— Quid ita? priusquam<sup>5</sup> mactaris,<sup>5</sup> ne excores.<sup>5</sup>

— Omnia sunt in quadrum<sup>6</sup> redacta.<sup>6</sup> Mortem effugere non poterit.

— Cautus esto; nam Claudii sunt potentissimi.

— Agedum scito Quintum Claudium esse Christianum.

— Mentiris!

— Atqui<sup>7</sup> ego verum dixi. Priusquam hiems praeterierit, Quintus in laqueos<sup>8</sup> incidet.<sup>8</sup>

— Heus tu, si hoc verum sit! — clamat Stephanus; — ego te inaurabo.<sup>9</sup> O qualem victoriam! Veni huc, puer, sine me tibi oscula dare.

Et quasi furiosus<sup>10</sup> servum osculatur.

— Nunc apage, abi! Quietate mihi opus est.

— Placide quiescas — susurrat Antinous.

\*

Media nox praeterierat, cum Christiani Suburani<sup>11</sup> in desertas latomias<sup>12</sup> convenissent. In iis fuit Quintus, qui tum in conventu primum apparuit.

Dum Christiani sancta pietate mersi sedent in caverna deserta latomiarum, ad collem Esquilinum viginti fere milites armati viam ingrediuntur. Manui praerat centurio robustus, qui bellis in Germania gestis eximia

virtute hunc gradum<sup>13</sup> adeptus erat. A dextra servus taedam<sup>14</sup> ferens, a sinistra Antinous ibat.

Ubi parvum pinetum,\* quo desertae latomiae tegebantur, apparuit, centurio faces extinguere iubet. Milites alius post alium in silvam densam penetrant. Antinous lucernam<sup>15</sup> in manu tenens anteit. Paulo post ad ostium latomiarum perveniunt.

— Adsumus — inquit Antinous cum risu daemonico.<sup>16</sup>

Christiani in spelunca genibus<sup>17</sup> nixi<sup>17</sup> precabantur, cum foris gradibus militum auditis perterriti subsiliunt; viri contumaciter resistere parant. Priusquam vel unus aufugere posset, centurio senex ad introitum stricto gladio apparet.

Thrax Barbatus educto ense centurioni se opponit.\*\*

— Morietur hercle, qui loco se moverit — clamat centurio magna voce.

Quintus, cum certamen impar videretur, tamen gladium velocissime e vagina<sup>18</sup> extrahit; at priusquam eo uti posset, Antinous celeriter in eum invectus brachium apprehendit. Milites Quintum circumsistunt et gladio e manu extorto<sup>19</sup> dearmant.<sup>20</sup>

— Quid vultis? — quaerit Quintus.

— Id quidem non te latet, — ait centurio.

— Novistine me?

— Num est Romae quisquam, qui T. Claudii filium ignoret?

— Et tamen ut latrones in me impetum facitis?

— Facio meum officium; Nasarenos quaero. Domine, captivus es. Si fidem<sup>21</sup> dederis non te fugiturum esse, non te in vincula conciam. Ceteros oportet alligari.

— Iuro tibi, centurio — ait Quintus — me solum esse, in quem Stephanus impetum fieri iussit. En adsum, auferte me, catenas inicite manibus et pedibus, rapite me per urbem et gloriamini vos opima<sup>22</sup> praeda

1 éjféltájban 2 nos? halljuk? 3 megnyeri a játékot  
4 valamibe kerül 5 ne igyál előre a medve bőrére  
6 rendben van 7 pedig 8 törbe kerül 9 aranyba foglal  
10 eszeveszett 11 Subura = Rómának egyik városrésze  
12 kőbánya 13 rang 14 fáklya \* fenyves 15 lámpa  
16 ördögi 17 térdelve \*\* szembeszáll 18 hüvely  
19 kicsavar 20 lefegyverez 21 szó 22 gazdag.

potitos esse. Sed hos miseros, pavidos, innocentes liberos<sup>23</sup> dimittite.<sup>23</sup> Non isti legibus refragantur.<sup>24</sup>

— Quis hic recusat suum Redemptorem? — clamat senior Christianorum. — Nos omnes sumus fideles Christi in crucem<sup>25</sup> acti.<sup>25</sup>

— Age igitur, tuum fac officium — ait Quintus centurioni.

Omnes a militibus vinciuntur.<sup>26</sup> Thrax Barbatu sinistra Glaucen amplexus retro se recipit; gladius in dextra micat. Duo milites appropinquant.

— Cave<sup>27</sup> insanias,<sup>27</sup> senex — ait unus. — Vides nos esse viginti.

Thrax Barbatu velocissime gladium capulo<sup>28</sup> tenus<sup>28</sup> in pectus Glaucen infigit. Milites horrentes reformidant.<sup>29</sup> Thrax placide filiae cadaver in terram demittit.

— In pace quiesce — ait labris<sup>30</sup> tremebundis. — Nullius carnificis manus te attinget.

Dein fortiter in milites invectus ictu unum prosternit et in alterum irruit. A militibus circumventus brevi certamine facto corrui.

Quintus oculis natantibus<sup>31</sup> duos mortuos intuetur.

— Me quoque sic mori oportebat — ait suppressa voce. — Omnipotens Deus, eveniat, quod tu vis.

— Agite, eamus! — inquit centurio. — Ne ploretis, mulieres! Fletu scelus expiari<sup>32</sup> non potest. Procedite!

Agmen triste se movere<sup>33</sup> coepit.<sup>33</sup>

<sup>23</sup> szabadon ereszt <sup>24</sup> ellenszegül <sup>25</sup> keresztre feszített <sup>26</sup> megkötöz <sup>27</sup> ne okoskodj! <sup>28</sup> markolatig <sup>29</sup> visszahőköl <sup>30</sup> ajak <sup>31</sup> révedező <sup>32</sup> jóvá tesz <sup>33</sup> megindul.

## VARIA

### I.

**Bias philosophus** forte unā cum hominibus improbis navigabat, cum ex necopinato tempestas exorta est. Cum navis inverso<sup>1</sup> mari fractis remis fluctibus verberaretur, improbi pallido ore deos invocabant. Tum philosophus, Silete, inquit, silete, ne dii vos hic navigare sentiant.

### II.

**Homines**, qui vere magni sunt, nunquam puduit inferioris originis.

Traditum est patrem Agathoclis, tyranni

Syracusarum figulum<sup>3</sup> fuisse. Tyrannus, ut reverentiam erga patrem exhiberet, apud mensam vasis aureis et argenteis, uti tunc temporis mos erat, nunquam utebatur, tantummodo fictilibus<sup>3</sup> et saepe dixisse fertur: sciant omnes me filium figuli esse.

### III.

**Factum est**, ut ovis pauperis cuiusdam equis Caroli V. imperatoris Antverpia<sup>4</sup> Bruxellas<sup>5</sup> proficiscentis obtrita<sup>6</sup> fuerit. Imperator a possessore, quia damnum ei non restitutum est, in iudicium vocatur. Cum vero aulici<sup>7</sup> iudicem de hac re iudicaturum maledictis increparent, quod nomen<sup>8</sup> imperatoris<sup>8</sup> recepisset,<sup>8</sup> tum ille: ego quidem civis, inquit, sub imperio imperatoris sum, sed iudex tantum iustitiae sum subiectus. *Aemilius Láng.*

<sup>1</sup> felkavart, háborgó <sup>2</sup> fazekas <sup>3</sup> cserép <sup>4</sup> Antwerpen <sup>5</sup> Brüsszel <sup>6</sup> elgázol <sup>7</sup> udvaroncok <sup>8</sup> a pert a császár ellen elfogadta.

## Tempestas.


Michael Tóth S. J. 1929.

*Temperies aurae purae placidissima mane,  
Sed mox attā tenens radios sol spargit abunde  
Lucis et ardoris super agros Bánhida pagi.  
Messorum solers<sup>1</sup> manus et triticum secat aptum  
Et confert donum Domini cumulans in acervos,  
Fessi tentantes opus urgens fallere cantu.  
Ast ecce australi procul in regione dolosa  
Non raro nubes levat a terra caput atrum,  
Mox et deformis truncus se tradit in altum.  
Incipit et murmur<sup>2</sup> grave terrificare tonitru,  
Et ventus praeceps spirare valentius orsus  
Insternitque solo prope frondes; vortice facto  
Pulveris haud patitur spissam<sup>3</sup> vitae trahere auram,  
Quum simul et crebris micat ignibus integer aether.  
Turbo furens nubes saepe torquet glomeratque.  
Iamque cadunt largi,<sup>4</sup> resolutis<sup>5</sup> nubibus<sup>5</sup> imbres.<sup>4</sup>  
Agricola haec videns ac formidans sua damna  
Horrendum dictu! maledicta vel impia verba  
Protrudit,<sup>6</sup> mixtis obscenis, ore scelesti  
Contra coelestem Dominum simul omnia sacra.  
Isto hoc momento lux ingens atque tonitru  
Concutiens terras, rapide vibrante tremendo<sup>7</sup>  
Fulmine, quod stridens ruit ac, reboante<sup>8</sup> fragore,  
Ictu mortifero ferit audacis caput ipsum.  
En sic saepe Dei venit ultio terribilisque  
Poena repentino blasphemanti<sup>9</sup> scelerato.*

\*

*O gens infelix, iam cessa<sup>10</sup> a crimine tanto,  
Ne forsā cogas Dominum simili quoque strage<sup>11</sup>  
Perdere cum regno carum nobis genus omne.*

<sup>1</sup> ügyes <sup>2</sup> moraj <sup>3</sup> sűrű, tele tömött <sup>4</sup> bőséges, «hatalmas zápor» <sup>5</sup> «megnyitlak az ég csatorná» <sup>6</sup> (előre taszit), átkozódik <sup>7</sup> cikázó <sup>8</sup> visszhangoz <sup>9</sup> káromló <sup>10</sup> felhagy <sup>11</sup> lesújtás.



**Splendor dierum festorum**, quo Sanctus Emericus nuperrime in patria celebrabatur, totum orbem terrarum luce sua nunc collustrat.<sup>1</sup> Hospites et diurniarii,<sup>2</sup> qui ex exteris nationibus celebrationibus aderant, domum reversi gratissimam earum memoriam retinentes in variis ephemeridibus de urbe nostra regnoque scribunt. Clarissima celebrationum momenta aequae ac urbs nostra in ephemeridibus externis passim publicantur. Quae omnia liberalissimis patriae studiis haud parvo emolumento sunt.

**Sollemnia quinquagenaria Ioannis Csengeri.** Quinquaginta anni praeterierunt, ex quo vir doctissimus eruditissimusque cultor studiorum quae dicuntur classicorum ad gradum doctoris promotus est. Ex eo tempore Ioannes Csengeri plurima scriptorum antiquorum opera in sermonem nostrum convertit suisque scriptis litteras Hungaricas multum ditavit. Mense Iunio est traditum ei diploma aureum et inter alios etiam Geiza Némethy, magister in litterarum universitate Budapestinensi doctissimus eum consalutavit.

**Vestigia expeditionis Franklinianae nuperrime reperta.** Ante 85 annos est profecta expeditio Frankliniana e Britannia cum duabus navibus, quarum nomina «Erebus» et «Terror» erant, ut explorarent quae per polum septentrionalem ferret viam. Naves ad extremum piscatores<sup>3</sup> quidam balaenarum<sup>3</sup> eodem anno in sinu, qui dicitur «Malville» viderunt. Ex eo tempore ne vestigium quidem ullum expeditionis relictum est.

Anno 1859. in insula regis<sup>4</sup> Guilelmi<sup>4</sup> annotationes<sup>5</sup> repertae sunt, ex quibus apparuit naves usque ad annum 1848. glacie fuisse circumsaepas. Post mortem ducis Franklini socii naves reliquerunt. Ex 129 sociis eo

tempore 105 salvi erant, qui de salute sua desperantes redire ad continentem omni<sup>6</sup> ratione<sup>6</sup> haud dubie conabantur, sed frustra, nam fame, frigore laboribusque fessi ad unum omnes perierunt.

Quae ex vestigiis expeditionis remanserunt, nuperrime praefectus militum Americanus: *Burwash* repperit.

<sup>1</sup> besugároz <sup>2</sup> ujságíró <sup>3</sup> bálnavadászok <sup>4</sup> King William sziget <sup>5</sup> feljegyzések <sup>6</sup> minden áron.



### Iocosa.

*Duo iuvenes*, alter alteri simillimi in ius vocantur. Iudex eos interrogat:

— Estisne vos gemini?

— Ita, — respondent iuvenes.

— Ubi tu natus es? — vertitur ad alterum iudex.

— Berolini.

— Et tu? — appellat alterum iudex alienis<sup>1</sup> rebus<sup>1</sup> valde districtus.<sup>1</sup>

★

*Thomas Erskine*, causidicus Britannus, saeculo praeterito clarissimus, aliquando aurigam crudeliter equos verberantem increpuit:

— Cur tam crudeliter animalia tractas? Pudeat te inhumanitatis tuae!

— Tute autem quid meis rebus te immisces? — reiicit verbis obiratus auriga virum benignissimum. — Equi mei sunt, itaque cum iis facio, quod mihi libet!

Causidicus nihil respondit, sed baculo aurigam male mulcavit.<sup>2</sup> Cum autem homo indignabundus<sup>3</sup> ab eo requireret, quo iure se verberare ausus esset, Baculum meum est — respondit Erskine — et facio cum eo, quod mihi libet!

★

— Cur fugis, mi Stephane?

— Quia duos pueros inter se rixantes videre nolim. :

<sup>1</sup> szórakozott <sup>2</sup> elpáhol <sup>3</sup> méltatlankodik.

— Et qui sunt illi pueri?  
— Adalbertus et ego!

\*

— Vestitus es, amice, elegantissime. Amabo te, dic mihi, ubi sartor tuus habitat?  
— Non est, cur hoc abnuam, sed noli ei dicere, ubi ego habitem!


\*

Gener coquam intro vocat et dicit ei:  
— Attende, Anna, quid a te postulo. Cras veniet socrus mea. Accipe tabellam, in qua scripsi cibos, quibus illa delectatur. Si ex his unum tantum coquere audes, domum statim relinquere debes.

\*

— Finis fabulae tuae lepidissimus est; gratulor tibi toto pectore.  
— Et quo modo initium placuit tibi?  
— Ne mentiar, amice — principium nondum legi!

«Vanitas est longam vitam optare et de bona vita parum curare.» (Thomas a Kempis.)



I.

**Pro his vocabulis synonyma ponantur.** Primae litterae vocabulorum novorum **proverbium** reddent: do, oppidum, solutus, avidus, atque, convivium, metuo, fraus, vagor, cervix, opertus, orat, comburo, timeo, gladius, stella, omnis, presso, eripit, invidia, libra, fluvius, retinet, interest, eget, affluere, temperat, nudus, more, imperitus.

II.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.  
Pro numeris syllabas recte si posueris, nomina efficientur: 1. 2. nobis carissimus, 2. 3. pars arboris, 3. 4. operarius agrestis, 4. 5. adverbium, 5. 6. ratione efficitur, 6. 7. nobis carissima, 7. 8. mater omnium.  
8. 1. olus. —

III.

**E syllabis:** a at dux est im li mor mus ni pe que ra ta tae tor um vi **verba concinnentur**, quae recte disposita sententiam Sallustii satis notam efficiant.


Solutiones aenigmatum numeri X. anni XIV.

I. avis	II. vetus	vir	vallis
anas	ebrius	imus	ingratus
anus	nullus	difficilis	construit
vas	intra	ignobilis	iustus
is			
s			

Veni, vidi, vici!

III. Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes! — IV. Rosa. — V. Rana. — VI. Cochlea.

**Aenigmata numeri X. anni XIV. recte dissolverunt:** Nicolaus Rosenberg (Keszthelyensis) et Iulius Vattamány (Sopianensis). — Praemium sorte Nicolao Rosenberg adjudicatum est.



**Ad discipulos Iuventutem legentes.** Multi vestrum anno priore socii diligentes in conscribenda ephemeride nobis fuistis et nunc quoque speramus fore, ut rei optimae maximam curam habituri sitis. Ad studia autem vestra magis etiam incitanda laboris nostri socium, qui hoc scholae anno operibus pulcherrimis optimisque Iuventutem ditaverit, praemio per pulchro afficiendum esse statuimus. Quae opera quaelibet esse possunt, sive longiora sive breviora. Saepe mittantur et bona sunt! Item praemio afficientur socii, qui diligentiam in aenigmatum dissolvendis adhibebunt.

Moderator ephemeridis: EUGENIUS FRAY DR.  
Budapest, I., Verpeléti-út 22.,  
ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

**Administratio ibidem.**

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségen.  
(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)